



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Paulus Conf. 7. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

cula tulit. Pro salute suorum solicitus, etiam cum longissimè abesset, adfuit tamen. Ita Imperatori quandoque Constantino conspectus jussit sententiam revocare, quam in tergeminos Tribunos innocentestulerat. Ita institorem in somnis monuit, frumentū, quod haberet, in urbem suam, quam fames vexabat, conveheret. Alias vocatus à navigantibus, sæpius opem tulisse visus est. Quid? quòd animum NICOLAI tumulus ejus est imitatus, oleum miseris propinans. Tumulatus verò memoratur circa annum CCC. XXVI. cum moriturus Angelos obvios habuisset, etiam nobis occursuros, si rectam viam insistamus. *Ex Iustinia. & Brev. Rom.*

Post memoriam Virginis singularis tam dulcis pietas, vel pia dulcedo in cordibus fidelium obversatur, ut in die tribulationis nomen NICOLAI teneatur in ore, requiescat in corde. Si pulsamur incommodis, statim S. Confessoris nomen proslit in os nostrum, NICOLAVS ingeminatur. S. Bern. serm. de S. Nic.

S. PAULUS CONF. 7. Decembris.

PAVLVM parentes dixere, addidit deinde virtus Obsequentis cognomen, quod ille nec cum Alexandris aut Scipionibus nunc commutabit. Quid? quòd cœnobio ipsi, quod habitabat, nomen miraculis ingens peperit? Nam illud quantum obedientiæ sive exemplum sive præmium fuit, cum picem in aheno bullientem à flammâ, jamjamque exundantem nudo brachio, quoad subsideret, impunè versavit? Quod factum cum alii, ut par erat, laudibus extollerent, convitiis alii deprimenter; perstitit tamen ille in statione suâ, suopte judicio terræ purgamentum & canis pigel-

pigellus, cælo intereà omnia alia de ipso sentiente. Cùm enim socii scire percuperent , quo loco apud Superos PAVLVS esset, abrepti animo in felicissimos priimi parentis hortos, PAVLVM illuc invenerunt, qui munera (fructus miro) in singulos dispergit, simul vale omnibus diceret. Siquidem altero manè ad montem è cœnobio contendit non procul Constantinopolis situm. Ad hujus pedem cùm annos aliquot habitasset, evocatus denique à D E O , velut alter Moyses, in culmen, inde facili transitu in cælum est. Ex Menœis.

Felix, quem in omni confabulatione duplex timor solicitat, primùm quidem divinæ Majestatis, in cuius manus incidere prorsus horrendum; dehinc fraternæ infirmitatis, cui nihilominus per facile est offendiculum ponere. S.Bern.serm.de tripl.custod.

S. A S E L L A V I R G O . 7. Decembris.

Felix AsELLÆ pater, cui Superi filiam , priùs quam nasceretur , lympidâ crystallo clausam spectandam obtulere , ut jam tum animi castissimi sive candorem sive splendorem miraretur! Sed felicior ipsa ASSELLA , quæ in primâ ætate Agno jam nupta thalamum in parentis domo cellam angustam, lectum terram , delicias cum sale panem & fontanam habuit. Atque ad has nuptias post annum ætatis duodecimum , ut mundum muliebrem non inconvenientem sibi pararet, torquem aureum, quem pro more familiæ (nobilissima erat) è collo pendulum gestabat , clam vendidit, emitque qualém à matre exorare numquam poterat, vilem & pulli coloris vestem, omnibus hac testata jam mundo se mortuam esse. Ita deinceps unius Christi amoribus vacare, hunc lacrimis